

- 1 Erhardus S. Rom. Imperij Comes Truchses de Wetze
hausus S. Cas. Maj. Camerae a puriore Ecclesia
De eius ostensu Diss. Theol. prof. G. Fitis D. et
M. Rubertho Othonis Helmst. 1652.
- 2 Desiderium et studium concordiae Eccles. G. Calixti 1650
- 3 De fide & operibus S. patris & Doctoris Aurelij
Augustini Episcopi Hipp. liber unq edit. a D. Henrico
A. dissertatio de hoc argto Eiusde Aut. Henn. 1652.
- 4 Dissertatio de Majestate Civili D. Joh. Hennichij
de sacris publicis templis & diebus festis endirio
Autore M. Joand. Hildebrandus Helmst. 1652
- 5 De cultu S. Virg. Mariae ap. Pont. G. Calixt. 1650.
- 6 de primatu Rni Pontificis G. Calixt. 1650.
- 7 de S. Scra, prof. G. Calixto Aut. et Res. M. Ecardo 1649
- 8 de justifiacoe hom. coram iudicio Dei. G. Calixto
Resp. M. Gerh. Fitis. 1650.
- 9 de controversijs q̄ circa Euchari. inter Catho
licos protestantes et Pont. incedunt proside
12 D. Gerh. Fitis Resp. Fr. Wl. Calixto p. p. 1652
- 10 de S. Scra. ps. D. Gerh. Fitis Resp. Fr. Wl. Calixt. 1650
- 11 de S. Trinitat mysterio ps. Gerh. Fitis: et Fr. Wl. Calixt.
- 12 de immortalitate aīe G. Fitis: et Fr. Wl. Calixt. 1650
- 13 de Supremo iudicio & eterna beat. G. Fitis: et Fr. Wl. Cal.
- 14 de praedestinaē G. Fitis: D. H. Conrad. Hoffm. 1650
- 15



Disputationum Theologicarum Secunda,

XXVI

Qua παρδεία

SEU INTRODUCTIO IN THEOLOGIAM

continuatur,

Et

De Sacra Scriptura

absolutè considerata potissi-

mum agitur ;

QVAM

In ACADEMIA Hasso-Schaumburgica, Divinâ

aspirante gratiâ,

Consensu & Auctoritate Venerandæ & Amplissimæ

Facultatis Theologiæ,

SUB PRÆSIDIO

M. P E T R I M U S Æ I,

Professoris Publici,

Placidè & disquisitioni subjicit

CHRISTOPHORUS HOLSTENIUS, Svecus.

Ad diem Febr.



RINTELI I, Typis PETRI LUCII, Typogr. Acad.

M. D C. L.

Viro admodum





ILLUSTRISSIMO COMITI
AC DOMINO,

DN. PHILIPPO,
COMITI SCHÄUMBURGI,
LIPPIÆ, ET STERNBERGÆ &c.

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO
SALUTEM ET FELICITATEM.



Illustrissime Comes, Domine Clementis-
sime; Ex quo Illustrissima Vestra Genero-
sitas clientibus suis me adscribere, simul
& publicam ad dignitatem in sua Rintelienſi Acade-
mia provehere dignata eſt: nullo meo merito tan-
tam Ipfius expertus indulgentiam ſum, quantum
me verbis exprimere non poſſe exiſtimo, id eſt, ſin-
gularem, divinam, incredibilem, atque adeò majo-
rem, quàm ut accedere ad illam quicquam poſſit.
Cujus jucundiffima recordatio identidem ſubit ani-
mum, magnumque adverſorum, & tantùm non, ſi
à ſupremi Numinis favore diſceſſero, unicum eſt ſo-
latium, ſive invidia tempeſtas ingruat, ſive ringatur
calumnia, & rabidi obtreſtatorum morſus erum-
pant,

pant. Doleo autem vehementer, & eousque doleo, ut vitam mihi esse acerbam putem, quòd ex tanto intervallo, quasi gratitudinis & subjectionis debitæ immemor, neque publicè neq; privatim feci ullum extare indicium aut vestigium, ex quo Illustrissima V. Generositas humillimū obsequentissimumq; & gratias immortales agere gestientem animum meum vicissim perspexisset. Quanquam non mihi ea de causa succensere possum, nec meam negligentiam, sed potius temporum infelicitatem accusare debeo. Mihi nimirum exercitia quædam Academica à tenuitate ingenij profecta dudum desideranti publicare, Vestræq; Illustrissimæ Generositati cum ad probandam impositæ stationis fidem, tum ad devotionem animi declarandam consecrare instituenti, omniq; curâ & toto pectore in id incumbenti remoras fecit partim civium Academicorum, quorū opera ad institutum meum requirebatur, infrequentia; partim, ut dicam, quod res est, sumptuum penuria, quacum studia conflictari hodiè ut plurimum necesse habent. Quamobrem Illustrissima V. Generositas mihi veniam, culpam autem fortunæ Musis hoc ævo parùm faventi dabit, si de gloriæ Ipsius nunquam inter morituræ tholo sacrū illud anathema, quod dudum debui, seriùs quàm oportuit, suspendo. Quanquam ut in rem præsentem veniam, ne nunc quidem
mihi

mibi fatifacio, nec aliorum reprehensionem effugere videor, quòd Illustrissimæ Generositati Vestræ inscripsi ejusmodi disputationem, in qua, si argumentum, quod haud proletarium est, excipiã, de reliquo nihil maturi & cocti, nihil ingenij & eruditionis apparatusq; sicut dignum erat tanto culmine, elucet. Verum tamen quam modò prædicavi clementiam, nec unquam satis prædicari posse affirmavi, næ illa pius & humilẽ offerentis adfectũ pluris æstimabit, quàm munusculũ, & supplebit, quicquid ipsi deest dignitatis; eoq; spe bonã me implevit, fore, ut Illustrissima V. Generositas incomptum & exile exercitium sereno vultu accipiat. Ad hæc patrocínio suo & favore maximo, quo ut me dignũ deputet, rogare nõ possum, saltẽne indigentem unquam destituat, humilimè oro & obtestor, simulq; Deum imortalem precor, ut quem suæ Reipublicæ firmamentum, cum Celsissimã Domo Hassiacã Academia Patronum, mihiq; Dominum INDULGENTISSIMUM dedit, pro inexhausta sua benignitate sospitet quàm diutissimè, omniq; prosperitatis genere ad sèpiterni Nominis splendorem florere velit, jubeat. Dat. in Rinteliensì Academia Calend. Martij clo 10C L.

Illustrissimæ Generositati V.

Subiectissimus & obsequentissimus

M. PETRVS MVSÆVS.



P Æ D I Æ

Sive

Introductionis in Theologiam

PARS SECUNDA,

De

SCRIPTURA SACRA AB-
solutè consideratâ.

Æ. CHRISTOPHORO HOLSTENIO, Sveco.

I.



Uoniam Scriptura sacra est principium fi-
dei & morum in Theologia, & verò principii na-
turam ejusq; rectè applicandi & ad usum transfe-
rendi rationem priùs perspectam esse oportet,
quàm rerum subjectarum tractatio suscipiatur:
idcirco continuandæ perficiendæq; prædix, in qua
superior disputatio occupabatur, reliquum est &
perquàm necessarium, ut adjiciatur brevis etiam Scripturæ sacre
commentatio. Bifariàm autem Scriptura sacra, semel absolutè & se-
cundum se; deinde iterum respectivè considerari porest & debet.
Absolutè & secundum se spectata suam nobis naturam & originem
atque auctoritatem potissimùm considerandam exhibebit. Quo-
modo verò sit fidei morumq; principium & regula, id ad respectivam
ejus considerationem pertinet, & deinceps si non in hac, in subse-
quente disputatione exponendum erit.

§. 2. Intelligimus autem Scripturæ sacre appellatione nihil
aliud, quàm verbum Dei scriptum, eaq; de causa naturæ ejus decla-
randæ daturi operam, oportet, primùm verbum Dei in sua latitu-
dine

A

dine

dine; deinde quomodo in literas relatum sit, exponamus. Cumq̄;
adeò verbum in genere sit signum, quo quis vel sibi loquitur, ut ver-
bum mentis, vel alteri aliquid significat, ut verbum vocale & scri-
ptum: Verbum etiam Dei non immeritò interpretatur signum, quo
Deus humano generi locutus est & revelavit, quæ sunt creditu & fa-
ctu ad salutem necessaria. Sed sicut Deum aliquid quocunque mo-
do revelantem latè dicimus loqui: ita quodvis signum, quo doctri-
nam & voluntatem suam revelavit, non nisi latissimâ significatione
verbum appellamus. Quin etiam non modò signum, quo primùm
revelatio uni atque alteri privatim exhibita fuit; sed quo postmo-
dùm quasi publicata, in omnium notitiam venit; tùm etiam quo me-
morix prodita & conservata ad nos pervasit, verbum Dei censen-
dum est. Et quanquam sæpissimè verbum Dei appellatur quævis
doctrina divinitus revelata, etiam si non his verbis, quibus à Deo re-
velata est, sed aliis ex humano ingenio sibi relicto depromptis expri-
matur, qualis est doctrina symbolo Apostolico comprehensa: stri-
ctè tamen & propriè verbum Dei est modo hætenus explicato si-
gnum, ex quo divina doctrina cognoscitur, & id quidem non ab ho-
minibus, sed à Deo ipso profectum, ut ita non doctrinæ modò, sed
etiam signi illam manifestantis Deus auctor habeatur. Cùm autem
signis aliquàm multis & variis, iisque partim externis & sensilibus,
partim internis seu in animo latentibus, generi humano se Deus re-
velaverit: ad verbum Dei in sua latitudine spectatum si quid aliud,
maximè illud pertinet, ut diversi revelationis gradus & modi, si non
omnes, saltem præcipui brevibus ante oculos ponantur.

§. 3. Principiò igitur Deus se revelavit per verbum vocale,
idq̄; non modo uni atque alteri hominum, sed interdum pluribus
auditum. Utrum autem Deus ipse, an angelus in persona Dei locu-
tus sit, controversia est, de qua inter auctores non convenit. Scri-
ptura quidem sæpè ipsum Deum locutum esse memorat, non factâ
ullius angeli mentione: quod nonnulli perinde adeò interpretantur,
ac si Deus, cui organa loquendi corporea non competunt, potentia
saltem suâ vocem articulatam in aëre creâsset, adeoq̄; αἰθέρος & nul-
lius angeli interventu protulisset. Atque huc pertinent apparitiones
& allocutiones, quibus Deus Mosen subinde dignatus est, contra
quam fecit ulli propheta; quemadmodum ea de causa ipsum magis,
quàm

quàm omnes Prophetas Aaroni & Mariæ commendabat: *Siquis*, Num. xii. in-
 quiens, fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, aut per ^{6,7,8.}
 Somnium loquar ei. At non sic seruo meo Mosi, qui in tota domo mea fidelis
 est. Ore ad os loquor ei, & visione, sed non in enigmatibus, & simulacro in-
 tuetur Dominum. Valdè autem illustris, simul & solennis fuit appa-
 ritio & allocutio Dei in monte Sinai, cum lex coram universo popu-
 lo Israëlítico promulgaretur: Ubi non modo Moles, verùm etiam
 Israelitæ Dei vocem audivère, & attoniti dixerunt ad Mosen: *Lo-*
quere tu nobiscum: & ne loquatur nobiscum Deus. Etenim qui tum lo- ^{Exod. xx, 19.}
 cutus est, expressè sibi divinum nomen adseruit: *Ego sum*, inquit, ^{v. 1.}
Dominus Deus tuus, qui eduxi te ex terra Ægypti, de domo servorum. Et
 promulgatione factâ, Deus iterum per Mosen Israelitas monet: *Vos*
vidistis, quòd de cælo locutus sim vobiscum. Quin etiam alibi vox tum qui- ^{v. 22.}
 dem Mosi & populo Israëlítico audita Deo adscribitur, idq; eò fa- ^{Deut. iv, 36.}
 ctum arbitratur R. Moles ben Majmon, quòd Deus vocis istius ge- ^{Neh. ix, 13.}
 nitor fuerit. *Attribuitur autem, inquit, Deo ipsi sermo, quem Moles au-* ^{In More Par.}
divit, quia Deus illam creavit & innovavit, sicut reliquas creaturas. Idq; ^{i. c. 65.}
 ipsum aliàs hinc confirmat, quòd Deus à facie ad faciem cum Israëlitis ^{Ibid. c. 37.}
 & ad Mosen locutus esse dicitur, ratus, isthac phrasi denotari ^{Deut. v. 4.}
vocis sine intermedio & interventu Angelorum. Majmonidi ex Rabbi- ^{Exod. xxxiii,}
 norum schola alii plures, imò ad unum penè omnes consentiunt. Si- ^{ii.}
 militer Philo Judæus in libro de Decalogo scribit: *Opinor Deum illo*
tempore sacrum quoddam miraculum edidisse, jussisseq; vocem invisibilem ^{In com ad}
prodire ex aère. Cui ferè geminum est illud Calvinii: *Neq; enim alte-* ^{Deut. v, 4.}
rius, quàm Dei vox potuit ex igne prodire.

Sed enim multi verosimilius esse censent, Angelum aliquem in
 persona Dei locutum esse, quando Deus ad Mosen & in promulga-
 tione legis simul coram populo Israëlítico verba fecisse dicitur, per-
 inde ac illi, qui in Camera Imperiali jus dicunt, ipsum Imperatorem
 loquentem introducunt, adeoq; non suum, sed Imperatoris nomen
 orationi suæ præmittunt. Nec profectò negari potest, frequentis-
 simas olim sub veteri testamento Angelorum apparitiones & allocu-
 tiones fuisse, quales Lotho, Gideoni, Manoë & uxori ejus factæ sunt.
 Quin etiam *Angelus Domini* fuisse memoratur, qui Mosi *in flamma ignis* ^{Exod. iii, 2.}
de medio rubi apparuit, non obstante eo, quòd dixit: *Ego Deus patris* ^{v. 6.}
tui, Deus Abraham, Deus Isaac & Deus Jacob. Et sermonem per angelos di-
 ctum,



c. 11, 2.

Act. vii, 53.
Gal. 11, 19.

Lib. III.

Loc. 11. de
nat. Dei, c. 1,
n. 36, 37.

ctum, quem Epistola ad Ebræos laudat, sed infra Evangelii à Domino angelorum prædicati dignitatem collocat, multi interpretantur legem in monte Sinai Angelorum voce & præconio traditam, partim innixi verbis ibi immediatè subjunctis, quibus sermonis per angelos dicti veluti legis *transgressio & inobedientia justam mercedis retributionem retulisse* affirmatur; partim adducti Pauli & S. Stephani testimoniis, quorum hic Judæos *legem per dispositionem Angelorum accepisse*; ille *legem per angelos ordinatam* dixit. Nonnulli tamen è contrario verbis Stephani & Pauli non legem voce Angelorum, sed voce quidem Dei, at Angelorum veluti testium præsentia & ministerio ad solennitatem actus adhibito promulgatam intelligunt: quin etiam in epistola ad Ebræos non præcisè decalogum, sed universam legem, adeoq; omnes Veteris Testamenti revelationes indigitari, easq; sermonem per angelos dictum non propterea, quòd ad unam omnes, promulgatione decalogi pariter inclusã, sed quòd magna sui parte per angelos factæ sint, pronunciari existimant. Ad hunc aut certè non absimilem sensum collineat & animum intendit Franciscus Junius in parallelis, ubi scribit: *Novimus quidem, prius illud membrum comparationis de sermone per angelos dicto vulgò referri ad legem, quam ab angelis fuisse datam pleriq; tradiderunt, decepti specie aliqua locorum, Act. 7. & Gal. 3. quos antè explicavimus: sed non dubito, si quis ad Germanam locorum illorum interpretationem, & hanc quoq; argumentationem volet attendere, quin facile sit descensurus in sententiam meam; nempe neq; illic dici, quòd legem angeli tradiderint, neq; hic legis comparationem fieri aut angelorum, tanquam legem Dei tradentium: sed tantum comparationem esse institutam sermonum & revelationum, quas Angeli ex mandato Dei patribus olim exponebant, cum eo sermone Evangelii, quem Christus docuit & predicavit coràm, signisq; miraculosis confirmavit. Atque ita distrahuntur animi in contrarias sententias: Ultram autem amplectaris, ad nostrum quidem propositum parùm refert. Adiri interim & consuli potest Clarissimus Dn. D. Calixtus, præceptor noster venerandus, in dissertatione de duabus quæstionibus, quarum altera præsentem etiam controversiam aliquà tractavit, eaq; diligenter excussã, posteriori sententiæ accessit. Pro priore autem si quem fusiùs disputantem audire gestias, audi Dn. D. Gerhardum b. m. in exegefi.*
Ad verbum vocale, quale ἀπὸ τοῦ ἀ-Deo genitum in aère & for-

formatum dicebatur, pertinet fortasse **בן רב** *filia vocis*, id est, vox
secundaria, veluti echo repercussa & nata ex voce coelitus delapsa,
cujus filia seu partus dicitur. Sic autem Talmu dici, paraphrastæ
Chaldaei, & Rabbinii vocant coeleste oraculum, quo Deus temporibus
templi secundi, cum populo Judaico prophetas subtraxerat, se
nonnunquam revelavit, hac fini maximè, ut suæ benevolentia & Ma-
jestatis memoriam reficeret, aut promissi Messia brevi post tem-
pore exhibendi indicium & spem faceret. Huc referunt vocem in
baptismo Christi coelitus delapsam, cui consimilis audita fuit in
monte, cum servator transfiguraretur. Cæterum de filia vocis *a*
Paulus Fagius, *b* Camero, *c* Maimonides, *d* Drusius & *e* Buxtorfius,
quos adire refert, plura tradunt.

§. 4. Deinde etiam Deus se revelavit per verbum mutum,
cujus appellatione ut viva vox excluditur, sic de reliquo omne signum
divinitus ad patefaciendam Dei voluntatem exhibitum intelligitur.
Offerunt autem se nobis signa tam externa, quàm interna. Aliquan-
do enim Deus aliquid per objecta oculis ob via repræsentavit, & ea
quidem signa externa appellamus, inter quæ maximè eminent & il-
lustrata sunt Urim & Tummim, signa nempe sacra (verba sunt f. Bux-
torfii) in pectoralis ornamento Aaronis, ex quibus Oracula divina cognosce-
bantur. Forma eorum, cum usus ipsorum esse desit, simul ex notitia elapsa
est. Urim à luce habuerunt nomen, quod ad quæstia indicanda extraordina-
riam lucem acciperent, & quasi miraculosè fulgerent. Iudicantur enim
fuisse lapides pretiosi. Alii negant fuisse lapides: quin etiam volunt
nonnulli, Oracula Dei non ex illis cognosci potuisse, sed fuisse per
signa interna, nempe per conceptus menti inspiratos, sacerdoti re-
velata; dici tamen per Urim & Tummim edita, quod Deus ea non
revelasset, extra quàm si per Sacerdotem ornamento pectorali, in
quo Urim & Tummim comparebant, indutum & fungentem jam
munere Pontificio consulere: quam sententiam Cornelius à La-
pide inculcat. Cæterum post Prophetarum priorum tempora, mo-
dum consulendi Deum per Urim & Tummim non amplius in usu
fuisse, Sota in Milchna memorat, citante locum Buxtorfio in lexico
Talmudico.

§. 5. Adhæc frequentissimè Deus mysteria sua per imagines
phantasiae oblatas, aut conceptus menti inspiratos patefecit: quæ
signa

Math. III, 17.
XVII, 5.

a in Paraphra.
Chald. Exodi.
XXVIII. sub
fin.

b in oper. p.
516.

c More Nev.
P. II. c. 42.

d in præter.
Lib. I. p. 6.

e in Lex.
Talm. p. 320.
f. ibid. p. 45.

Comm. ad
Exod. XXII,
30,
p. 45.

signa interna appellavimus, quia in imaginatrice & intellectuali facultate producta, extrinsecus non apparuerunt. Ex parte autem eorum, quibus per ejusmodi signa factæ sunt revelationes, notabilis differentia occurrit, quantum ad corporis & sensuum externorum functiones attinet. Nimirum alii sepulti somno, aut ἐκστασι correpti, durante revelatione, ab omni corporis & sensuum externorum operatione cessarunt: Alii verò istis passionibus soluti, sensuum & membrorum corporis usum in potestate & libertate suâ positum inter ipsam revelationem habuerunt. Et quanquam utrique exhibitam sibi revelationem Spiritui sancto acceptam referebant: discrimi-

רוח הקדש
נבואה

minis tamen causâ Hebræi his Spiritum sanctum quasi ἐξοχὴν, illis verò speciali ratione prophetiam, seu Spiritum propheticum, qui idem Spiritus sanctus est, & Prophetæ nomen strictissimè interpretatum adserunt. Notatu digna sunt, quæ de discrimine inter prophetiam

Præfat. in Pf.
נבואה

& Spiritum sanctum tradit R. David Kimehi. Prophetia, inquit, est, cum res aliqua pervenit ad sapientem moribus integrum. Accidit autem ei prophetia in somno. Quod si verò vigilanti alicui obtigerit prophetia, facultates ejus sensibiles omnes cessant, & is ab omnibus negotiis hujus mundi abstrahitur, videturq; aliquis in visione prophetica secum loqui, eiq; hoc vel illud dicere. Aut apparent illi species in visione ista, aut nulla quidem species apparet, sed vocem audit secum loquentem. At spiritus sanctus est, cum homo integer rebus divinis occupatus, omnibus suis facultatibus salvis manentibus, loquitur quod loquitur, more reliquorum hominum, nisi spiritus sanctus excitavit ipsum & illuminat, vel instillat super linguam ejus, res nempe, verba laudis & confessionis Deo suo; Verba intellectus & disciplinarum vel institutionum. Loquitur etiam auxilio Dei futura & c.

רוח הקדש

Num. 12. 6.

Signa Prophetiæ sunt somnium & visio, quemadmodum Deus apud Mosen ait: Si quis inter vos fuerit Propheta Domini, in visione apparebo ei, per somnium loquar ei. Et quanquam in somno etiam contigit visio, specialiter tamen ita appellatur, quæ in ἐκστασι oblata fuit, ut à somnio distingueretur, nec modò imaginaria, sed unà intellectualis, imò talis sine illa interdum fuit. Frequentissimè quidem Deus imaginatrici facultati primùm species suggessit; nempe imaginem Angeli loquentis & res revelantis, aut rerum ipsarum species, aut figuras aliarum rerum, sed id, quod revelandum erat, ænigmaticè significantium exhibuit, ita ut postea à phantasia ad intellectum, quem



quem huic fini perinde à Spiritu sancto illuminatum oportuit, revelatio transferit. Ita sine dubio imaginariae fuere visiones, quas Danieli, Ezechieli & Petro factas scriptura memorat. Interdum verò immediatè intellectum, inspiratis speciebus, aut præexistentibus in usum supernaturalem conversis, applicavit ad rerum apprehensionem, simul & infuso lumine ad perfectam earum intelligentiam elevavit. Et quanquam intellectus, quia corpori est immeritus, res revelatas cum proportione & habitudine quadam ad res materiales apprehendit, ut ita ne tàm quidem, cum immediatè illuminatus fuit, phantasmata seu species rerum materialium prorsus abesse potuerint: Non tamen ejusmodi species phantasiae à Spiritu sancto infusas, aut præexistentes ad usum supernaturali modo excitatas oportuit, cum nihil impediat, quo minus intellectui supra naturam elevato phantasia naturaliter cooperetur. Quicquid autem sit de phantasmatum concursu, immediata mentis illuminatio aliquando etiam in *ἐκστασι* accidit, & quæ hinc profecta erat cognitio, non minùs visio prophetica fuit, quàm representatio rerum imaginaria, qualis per phantasmata sive per species phantasiae immediatè infusas exhibebatur. Nec profecto ulus reclamatur. Nam & Hebræi voces *חַוִּיָּה* de cognitione intellectus usurpant, secundum illud Maimonidis: *Verbum חַוִּיָּה de Deo sumptum non intelligendum de corporali visione, sed apprehensione intellectus*; & Græci Theologi *θεωσις* per *γνώσις* exponunt. Quin etiam Paulus *ἁρπάζειν* appellat, quòd raptus in paradysum audivit ineffabilia verba: cum tamen talis revelatio ipsi non tàm per phantasmata priùs infusa, quàm per immediatam mentis illuminationem exhibita fuisse videatur.

Ezech. I. 4.
xxxvii, 1.
Dan. ix,
5, 7, 8.
Act. ix, 10. 17.

More Nev.
P. I. c. 4.

II. Cor. 12.
1. & 4.

Altera revelatio, quæ Hebræis *שְׁחַתְחֻוּת* dicitur, quia sine corporis & sensuum externorum resolutione facta est, sanctis viris non per somnium aut visionem, sed per conceptus claruit, quos menti ipsorum Spiritus sanctus immediatè suggererat. Exempla sunt conspicua in Davide, Salomone & Apostolis, nec vero dissimile est, Prophetis etiam à somno & *ἐκστασι* liberis interdum similem revelationem contigisse.

§. 6. Porro quoniam Deus verbum suum, non paucorum tantum hominum, sed omnium bono revelavit, ipsius etiam jussu aut instinctu factum est, ut sancti homines revelationes sibi factas in vulgus

vulgus efferrent; publicâ nempe voce eloquerentur & passim incul-
carent. Hinc epistola ad Hebræos insit: πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως,
multifariam multisq; modis olim Deus locutus est patribus per prophetas: ex-
tremis hisce diebus locutus est nobis per filium. Quo pacto à paucis homini-
bus ad multos revelata doctrina transfijt, mox longè lateq; vulgata, ut
quin in omnium notitiam venire posset, nihil abfuerit. Deinde quia
Deo non vitum est, humano generi ad finem usq; seculi loqui per
viros, quos immediatè illuminaret & instrueret; tandem conservan-
dæ & propagandæ perq; omnes terrarum tractus spargendæ cælesti
doctrinæ scripturam sacram seu verbum scriptum, medium certè
fini isti convenientissimum, adhibuit. Unde distinctio verbi in
ἀγγελικόν & ἑγγεῖκον nata est, quæ tamen non ullam in doctrina diffi-
militudinem, sed diversos tradendi modos, non junctim nostrâ ætate,
sed diversis temporibus ferè seorsim usitatos importat. Quod quò
pateat clarius, operæ pretium erit, tres temporû periodos perlustrare.

Prima ab Adamo usque ad Mosen & legislationem perducta
summam 2453 annorum explet, & verbum Dei ἀγγελικόν traditum
& propagatum habet: nec mirum, tam diu illud citra scripturam po-
tuisse conservari, quando genus humanum nondum longè lateque
dispersum brevibus terrarum finibus se continuit, & patriarchæ
scholis & Ecclesijs præpositi vitam duxere solito longiorem,
nempe in tot annos porrectam, ut Adamum Methusalem, hunc
Semus, Semum Jacobus audire potuerit. Notatu digna sunt, quæ
de propagatione verbi Dei R. Gedal scribit: *Neq; verò dubium est,*
quin ducta natura omnibus parentibus cura sit, perficere liberos suos, sibiq;
similes, aut si fieri possit, reddere superiores: quoniam pater & præceptor cum
filio & discipulo suo non emulatur. Id cum ita sit, tradidit Adam omnē sapien-
tiam suam Setho, filio suo, sibi ad imaginem & similitudinem suam nato: atq;
ab his, ordine quasi concatenato pervenit ad Noachum, & Abrahamū & gene-
rationes eorum deinceps, ad lationem usq; legis, quam tunc Deus benedictus pa-
lâm tradidit Mosi, doctori nostro p. m. & toti Israël. Ex quibus, quòd
obiter monendum, etiam illud pater, Patriarchas non tam extra-
ordinariè vaticinando, ut prophetas post Mosen, quàm ordinariè
docendo, velut Ecclesiarum & Scholarum antistites, verbum Dei
tradidisse & ad posteritatem transmisisse. Hinc de Patriarchis scri-
bunt Rabbini: *Domus iudicij Eber, domus iudicij Methusalemi, omnes*
fuerunt

Schal. hak-
kab, p. 6. f. b.

fuerunt propheta & docebant homines instar concionatorum, doctorum, preceptorum: non verò dixerunt: Es dixit Dominus ad me &c.

Secunda periodus est bipartita: una ex parte Mosen & Prophetas; ex altera Apostolos habet. Horum a. pariter ac illorum temporibus verbum Dei ita publicâ voce inculcatum est, ut simul sensim ac paulatim in literas relatum sit, eaq; de causa accidere potuit, ut eodem tempore una ejus pars ἔγγεγον, alia ἀγγεγον extaret. Et scriptura quidem prophetica, qualis & quanta hodiè extat, serò omnibus partibus expleta fuit, finem imponente Malachia, qui propterea Rabbini sigillum prophetarum dicitur: At suam Apostoli, inter quos postremus scripsit S. Johannes, intra annos non adeò multos confectam dederunt, posteaquam Matthæus scribendi initium anno post Christi adscensionem octavo fecerat, quod testatur Theophylactus, & veriùs quidem, quàm sentiunt, b Irenæus & c Nicephorus. Præf. in Matth.

Tertia periodus itidem bimembris est, nempe Intervallum b Lib. II, c. I. c Lib. II, c. 45. tum à prophetarum excessu ad Christum natum, tum ab Apostolorum obitu ad nostra tempora continet. Utrobique fidei & morum regula solum verbum ἔγγεγον fuit, certè solum esse debuit; illuc quidem propheticum; hinc simul & apostolicum verbum. Nam neque Prophetæ sub veteri Testamento; neque Apostoli sub Novo quicquam ἀγγεγον tradendum reliquerunt, quod salutis hominum procurandæ necessarium Deus unquam revelaverat: quin etiam jam inde ab illorum tempore is est generis humani status, ut si ordinaria media requiras, verbum Dei sine adminiculo scripturæ non facile propagari possit & conservari. Præterquàm enim quod res ipsa loquitur, ad omnes orbis terrarum regiones, in quas longè plurimas & disjunctissimas distractum est genus humanum, traditiones non æque ac scripturas advolare, aut certè non æquè sine corruptelis perferri posse: insuper nobis desunt μακρόβιοι doctores, quales ante Mosen erant & requirebantur, ut traditionis sive doctrinæ, quam traderent, documenta à prima usq; origine accersentes fidè sibi conciliarent: quemadmodum Jacobus erudiri ab eo potuit, qui testatur, se Adami auditorem & discipulum fuisse. Cæterò quin si doctrina aliqua sit citra scripturam relicta, & testibus insuper μακρόβιοι careat: subinde metuendum erit, ne nomen & originem, quam præfert, mentiatur, nève intra annos tam multos variis hominum ingeniiis

Init. Comm.
in Matth.

riis subacta, illorum seu vanâ curiositate, seu incuriâ, seu etiam mali-
tiâ vitium fecerit: quod oppidò quàm facilè fieri potest, nullâ ex-
tante scripturâ authenticâ, quæ post primorum auctorum & anti-
quissimorum testium excessum veritati ab illis traditæ testimonium
subinde perhibeat. Quamobrem ut Deus occasionem verbi sui
corrumpendi aut in dubium vocandi subtraheret & præcaveret,
quantum quidem ad necessaria fidei & morum dogmata attinet,
universum in literas ære perenniores referri voluit & fecit. Digna
sunt, quæ hîc oculis subjiciantur, Theophylacti verba: *Siquidem qui
ante legem vixerunt viri divini, absq; literis & libris docebantur, sed mundâ
praditi mente, Sancti spiritus illuminatione illustrabantur, atque in hunc
modum Deo ipsis ore ad os colloquente, ejus voluntatem cognoscebant. Hujus-
modi erant Noë, Abraham, Iob, Moses. At postquam deteriores facti sunt
homines atque indigni, qui illuminarentur & docerentur à Spiritu sancto,
dedit misericors Deus scripturas, ut saltem per eas divina voluntatis admo-
nerentur. Sic etiam Christus Apostolis quidem in propria persona constitu-
tis collocutus est, misitque Spiritus gratiam magistram: Verùm quoniam
hæreses pullulatura erant, & mores nostri corrumpendi, placuit ei, ut scribe-
rentur Evangelia.*

Buxtorf. re-
cens. oper.
Talmud.
P. 197.

§. 7. Cæterum nec Judæi post prophetarum excessum scri-
pturis propheticis contenti fuerunt, nec hodieque Pontificii A post-
olicis acquiescunt, sed sicut hi verbum non scriptum, à Deo tamen
revelatum, & ab Apostolis inculcatum, indeque continuâ & nun-
quam interruptâ traditione ad se derivatum jactant: Ita illi תורה
הבעלפה, legem oralem, velut Mosi à Deo traditam; sed nec ab illo
nec post-secutorum prophetarum ullo literis mandatam, superstitio-
sè conservatum & propagatum iverunt, tanti quippe illam æstimantes,
ut scripturis propheticis non modò æquandam, sed omninò
præferendam duxerint, nisi nos ritum illud Rabbiorum fallit: *Fili-
mi, attende ad verba scribarum magis, quàm ad verba legis. Legem illam
Oralem R. Jehuda, suis à pietate Sanctus & ab eruditione eximia prin-
ceps, aliquando etiâ רב ר' יְהוּדָה Rabbi appellatus, Imperatore Antonino
pio, in sex tractatus digessit & literis consignavit; librūq; ab ipso edi-
tum, qui Mischna dicitur, postea suis disputationib. & decisionibus
auxerunt Rabbini, & augmento huic Gemara titulum fecerunt, to-
tumque opus ex Mischna & Gemara conflatum Talmud appellatum est.*
Sed

Sed quæ de traditionibus tum Judaicis, tum Pontificiis hic obiter memoravimus, alibi ex professo & diligentius excutienda erunt.

§. 8. Etsi proinde, ut ad propositum revertamur, verbum Dei tum propheticum sub veteri testamento, tum sub Novo illud simul & Apostolicum, secundum doctrinam, quam exponit, semper fuit hodieque est unum & idem: à variis tamen revelationum modis & signis, quin etiam post revelationem à dissimili tradendi & propagandi modo ei differentiarum quædam saltem accidentales accedunt, quales sicut vidimus, sunt: esse Dei aut angelorum voce prolatum; per Somnium aut in *ἐκστάσει* per visionem patefactum; Immediatè menti à Spiritu S. inspiratum; voce sanctorum hominum publicè traditum & propagatum; postremò literis proditum. Nunc vero sepositis cæteris differentiis, quas strictim exposuisse sufficit, ad verbum Dei scriptum, quæ tale, quemadmodum initio propositum erat, animum intendere, deque ejus cum scriptoribus & idiomate breviter, tum fusiùs de principali auctore, atq; hinc profectà auctoritate memorare refert.

§. 9. Scriptores fuisse Prophetas & Apostolos, supra non semel innuimus, neque adeo quicquam addendum restat, nisi ut moneamus, prophetas nobis hic non strictissimè illos tantum dici, qui per Somnium & visionem revelationes acceperant, quales aut omnino aut magnà ex parte intelligit salvator, cum Prophetas à Mose & Psalmis discernit; sed hic eo nomine & titulo laxiùs accepto indigitari omnes, qui sub veteri Testamento immediatè à Spiritu S. ad eloquendum aut scribendum verbum Dei instructi erant, quorum familiam ducit Moyses, is cui ore ad os locutus est Deus: Sequuntur prophetae strictè dicti: agmen claudunt sancti viri, qui extra somnium & visionem à Spiritu S. excitati eructarunt in laudes Dei, & reconditam sapientiam protulerunt, ut David, Solomo & alii. Quamquam autem constat, nullum librum Veteris Testamenti, nisi à Propheta; nullum Novi, nisi ab Apostolo aliquo esse conscriptum: quorundam tamen librorum scriptores saltem nominatenus incerti sunt, aut omninò ignoti.

§. 10. Idioma quod attinet, Prophetæ eà linguâ, quam Judæi omnes intelligebant, nempe Ebraicâ scripserunt, nisi quod Daniel & Ezra quædam Chaldaica immiscent. Apostoli verò scripta sua ediderunt linguâ suo tempore in orbe terrarum maximè com-

a Hist. Eccl. l. III, c. 33.
b Lib. III, c. I.
c Hist. Eccl. l. VI, c. 24.
d Libr. III, c. 18.
e Hæc. 29, 30, 151.
f Synops.
g In Matth. hom. I.
h Præf. in Matth.
i Euf. H. Eccl. l. VI, c. 10.
 In Catal. script. Eccl.

muni, nempe Græcâ, non tamen purâ, sed Ebraïsmis mixtâ, & quasi Ebræo-Græcâ, quali utebantur Judæi Hellenistæ, unde & Hellenistica est appellata. Evangelium tamen Matthæi primitus Ser-mone Ebræo editum fuisse, multi testantur antiquissimi scriptores, ut Papias apud Eusebium *a*, Irenæus *b*, Origines teste Eusebio *c* Eusebius ipse *d*, Epiphanius *e*, Athanasius *f*, Chrysostomus *g*, Hieronymus *h*, & alii quorû profectò magna est auctoritas, modò non pleriq; secuti sint unicum Papiam, scriptorem quidem antiquitatis nomine celebrem, sed credulum nimis eaquede causa non raro fabulas am-plexum & vicissim inculcare solitum, qualem Eusebius describit, simul & *exigui* iudicii virum appellat. Pantænus *i* quidem Stoicæ sectæ Philosophus Evangelium Ebraicè sub nomine Matthæi editum ex India, quo à Demetrio Alexandriæ Episcopo missus erat, redux se-cum Alexandriam, teste Hieronymo, retulerat. Inde quod Matthæ-us Evangelium suum Ebraicis literis edidisset, confirmata videtur opinio fuisse, quæ magis magisq; auctoritate Papiæ & Irenæi illum si-ne dubio secuti invaluit, & propagata eò faciliùs fidem meruit, quo diutiùs diligentiusque in Cæsariensi Bibliotheca asservatum & Naza-ræis juxta ac Ebionæis usitatum fuit Ebraicum exemplar. Hinc scribit Hieronymus: *Matthæus, qui & Levi, ex publicano Apostolus, pri-mus in Iudæa propter eos, qui ex circumcissione crediderant, Evangelium Christi Hebraicis literis verbisq; composuit. Quod quis postea in Græcum trans-tulerit, non satis certum est. Porro ipsum Hebraicum habetur usque hodiè in Cæsariensi Bibliotheca, quam Pamphilus Martyr studiosissimè consecit. Mihi quoque à Nazaræis, qui in Berea urbe Syria hoc volumine utuntur, de-scribendi facultas fuit. Ad hunc autem locum Erasmus Roder. in scholiis hæc annotat: Constantèr affirmant, hoc Evangelium (Matthæi) Hebraicè scriptum fuisse. At illud mirum, neminem unquam fuisse, qui reser-tur sibi conspectum fuisse. Chrysostomus non affirmat, sed A I U N T, inquit. Et profectò est ita. Quippe hæc sunt ex versione verba Chrysosto-mi: Matthæus accedentibus his, qui ex Iudæis Christo crediderant, & ro-gantibus, ut quæ verbis docuisset, hæc eis in literis servanda dimitteret, Hebræo D I C I T U R Evangelium scripsisse sermone. Similiter Hieronymus Evan-gelium Ebraicum Nazoræis & Ebionitis receptum sibi que visum & descriptum non affirmat esse, sed vocari à plerisque Matthæi authenti-cum; quin etiam à Græco textu notabiliter diversum esse indicat.*

Quod

Ibidem.

In Matth. hom. I.

Comm. ad Matth. c. XII.

Quod dicunt, illud ab hæreticis modò nominatis, quibus in usu erat, interpolatum fuisse & corruptum, facile quidem accipitur, sed neminem unquam fuisse, qui testetur, authenticum & intemeratum sibi conspectum fuisse, non abs re Erasmus miratur. Ut ut autem sit, in confesso maneat, Græcum textum esse æquè cum cæteris scripturis authenticum, tum quia prisca Ecclesia nunquam alium atque Græcum in Canone habuit, tum quia illi etiam, qui versionem ex Ebræo textu tanquam primigenio exsculptam esse volunt, Apostolum aliquem auctorem ejus fuisse pronunciant, quanquam de nomine dissentiunt.

a Theophylactus Johannem, *b* Athanasius Jacobum, Anastasius Sinaita Lucam & Paulum, alii alium ex Apostolorum ordine nominant. Hieronymus autem, *quis postea ex Ebraico sermone in græcum transeulerit, non satis certum esse, verbis paulò ante citatis nos docuit.*

a Præm. in Matth.
b in Synops.

§. II. Principalis auctor Scripturæ sacræ est Deus, qui Prophetis & Apostolis tanquam amanuensibus, eorumq; mente & manu ac calamo artisq; scribendi peritiâ velut instrumentis est usus.

Nimirum posteaquam ipse primus, fortè ut suo exemplo scripturam commendaret, legem duabus tabulis lapideis inscripserat: statim Mosen, nec semel, ut sequeretur, monuit; quin etiam deinde non modo *a* Esaiæ, *b* Jeremiz, *c* Habacuco, ut apud ipsos videre est,

Exod. xxxii, 16. xvii, 14. xxxiv, 27. Deut. xxxi. 19

aliisq; Prophetis scribendi munus imperavit; verùm etiam postremùm Apostolos, ut ad illud aggrederentur, impulit & permovit: ut ita hinc scriptura sacra non fortuitò aut humano arbitrato confecta, sed ab ipso Deo etiam quoad exercitium imperata & profecta esse intelligatur.

a Cap. iix, i. xxx, 8.
b Cap. xxx, 2.
c Cap. ii, 2.

Deinde quantum ad speciem actus attinet, si literarum figuram exceperis, quam ab arte scribendi & instrumento benè aptato profectam etiam in autographis humanam fuisse constat, de reliquo res & verba originem suam in Deum sive divinam inspirationem referunt, unde Paulus *totam scripturam θεόπνευστον, divinitus in-*

ii. Tim. iii,

spiratam pronunciat. Θεόπνευσία verò illa, per quam Sacra scriptura confecta est, de communi auctorum sententia est revelationum supra memoratarum quædam species, quanquam etiam quadantenus à revelatione differt: & quia sanctis hominibus somno & *ἐκστασει*

16,

solutis, quales sine controversia erant, cùm scriberent, facta est *θεόπνευσία*; hinc non ad prophetiam, sed ad illam revelationem, quæ

Hebræis *שְׂרָפָה נִרְאָה* dicitur, referri postulat. Neque obstat, quod

III. Pet. I, 21.

I. Cor. II, 6.

v. 7.

v. 8.

v. 9.

Prophetis per somnium aut in ἐκστάσει per visionem exhibitæ sunt plurimæ revelationes. Nihilominus cum ad illas sive voce inculcandas sive literis mandandas se converterent, θεοπνευσία seu Spiritus Sancti inspirationem & adstantiam de integro expererunt, secundum illud Petri: Ἀπὸ πνεύματος ἁγίου ἐλάλησαν (& scripserunt) ἅγιοι ἄνθρωποι, id est, Prophetæ. Hinc intelligitur, quod dixi, θεοπνευσία sanctis hominibus inter loquendum aut scribendum concessam fuisse nonnihil à revelatione diversam. Etenim revelatio est rerum ignotarum & maximâ ex parte captum humanum excedentium manifestatio, qualis erat, quando Deus mysteria fidei à seculis abscondita revelavit, quemadmodum scribit Paulus: *sapientiam loquimur inter adultos: sapientiam autem non seculi huius neque principum seculi huius, qui destruuntur: sed loquimur Dei sapientiam in mysterio absconditam: quam nemo principum huius seculi cognovit: Nobis autem revelavit Deus per spiritum suum.* θεοπνευσία autem, è qua sermo & scriptura illius vicem gerens prodiit, erat interna Spiritus sancti institutio, & mentis illuminatio, quâ sancti homines, quid, quo ordine, & quibus verbis eloqui aut scribere deberent, docebantur, suggerente Spiritu sancto tum species intelligibiles, aut ad ulum supernaturalem dirigente & excitante præexistentes, unde rerum simul & verborum in intellectu vera apprehensio oriebatur; tum infundente supernaturale lumen, quo porrò intellectus ad rerum apprehensarum intelligentiam elevabatur & eo penetrabat, ut de ipsa Spiritus S. inspiratione certior redditus & convictus infallibilem rerum inspiratarum veritatem sibi firmiter persuaderet. Et ita θεοπνευσία non modo ad incognita aut captum humanum excedentia, sicut prædicta revelatio, verum etiam ad ea, quæ antè quocunque etiam modo nota erant, porrigitur: Siquidem multa ex divina inspiratione scripserunt Apostoli, quæ à Christo per institutionem aut ab aliis per traditionem acceperant; tum etiam opera Christi & miracula, aliâque plura, quorum ipsimet spectatores fuerant; denique nonnulla, quæ neminem rectâ ratione utentem latere poterant. Neque est, quod existimes, non fuisse necessarium, ut Spiritus S. scriptoribus ea etiam inspiraret, quæ antè ipsis cognita erant. Etsi enim secundum se & quocunque modo illa nôrant, tamen quod, quo loco, & quibus cum circumstantiis potissimum scribenda essent, id vero sine Spiritus S. inspi-

inpiratione, quæ hinc maximè necessaria fuisse cognoscitur, ignorabant. Similiter linguæ, quâ scripserunt, periti res etiam verbis pro viribus ingenti & concessâ dicendi copiâ, exprimere valuerunt. Si autem non raro vulgaribus & sibi relictis scriptoribus contingit, ut res cœteroquin sibi cognitæ & intellectas verbis minùs idoneis efferant, aut ambiguè & aliquanto obscuriùs exponant: næ id Prophetis & Apostolis, nisi Spiritus sancti auxilio sublevati fuissent, tanto facilius potuisset accidere, quanto sublimiora captuque humano superiora scripserunt. Ut igitur scriptura sacra sine omni exceptione sit infallibilis, certè ad summam ejus auctoritatem pertinet, dictionem æquè cum doctrina esse divinam. Nec sanè de verborum scriptorum *θεοπνευσία* dubitari potest, si verba voce prolata Prophetis & Apostolis Spiritus S. suggesserat: quo sensu accipiuntur aliquàm multa scripturæ dicta; veluti cùm David ait: *Spiritus Domini locutus est per me, & sermo ejus per linguam meam*: Et Zacharias: *Sicut (Deus Israël) locutus est per os sanctorum*: Etcum propheta prophetiis suis præmittunt: *Sic vel hoc dicit Iehova*. Quibus adhuc clarius est testimonium Pauli inquentis: *Quæ loquimur, non sermonibus, quos docet humana sapientia, sed quos docet Spiritus sanctus*. Et quicquid contra hæc aut paulo antè adducta objiciatur, nobis tamè sit religio, & esse cuivis debet, sentire aliter de scriptura sacra, quàm quod tota sit, sive res, sive verba spectes, ita instinctu Spiritus Sancti confecta, ut ipso dirigente & moderante nihil scribi, nisi quod Deus vellet; nihil, quod à re, vero aut decoro alienum esset, immisceri potuerit.

§ 12. Ex eo, quòd Deus est auctor Sacræ scripturæ, facile colligitur, quæ & quanta sit ejus auctoritas. Meminisse autem ante omnia debemus, auctoritatem tam auctori, quàm scripto, vel legi, vel testimonio ejus competere. Non modò enim dignitas, quam auctor scripto suo conciliat, ut in suo genere perfectum habeatur: sed multò magis excellentia, quæ auctori existimationem parit, quòd ad scriptum in suo genere perficiendum valeat, auctoritas appellatur. Deinde discrimen observatu necessarium est, quòd auctoritas in scripto, lege vel testimonio rei mensuratur; in auctore ipso mensuræ rationem habeat. Etenim auctoritas seu excellentia auctoris applicata ad scriptum vel quodvis opus ab ipso profectum, veluti mensura ostendit, quanti illud in suo genere sit faciendum, seu quanta illius

II. Sam. xxiii.

2.

Luc. i, 70.

I. Cor. ii, 13.

illius sit auctoritas : verbi gratiâ: prudentia legislatoris , & insigne
boni publici iuvandi desiderium arguit , legem ab ipso conditam
esse rectam, & prudenter inventam , Rei q; publicæ fore salutarem :
Majestas principis seu absoluta ejus potestas maximæ protectio au-
thoritatis nuncia & indicina , neminem dubitare finit , quin lex ab
ipso confirmata plenam sibi vim obligandi adsumserit : latinæ lin-
guæ excellens peritia , cujus laude floret disertissimus Romuli ne-
potum , argumento est , phrasin ipsi usitatam esse sine controversia
latinam : rerum gestarum scientia , & veritatis ad posteritatem trans-
mittendæ studium , ubi in historico ita elucet , ut per illam erroris ,
per hoc fraudis suspicionem à se amoveat & declinet , historiam ab
ipso editam veram seu fide dignam esse persuadent . Longè autem
excellentiore modo infinita illa sapientia , in qua veluti in clarissima
luce Deus omnia ab æterno videt , ut nihil ignorare , nunquam à
vero aberrare possit ; & summa ejus bonitas , per quam falli & in
fraudem nos induci oppidò repugnat , nobis invicto argumento sunt ,
scripturam à Deo profectam non quocunque modo veritatis parti-
cipem , sed omnino infallibilem doctrinam , eo q; sine ulla exceptio-
ne amplectendam continere . Ut igitur Dei auctoritas , ex qua per-
spectâ infallibilitas ejus æstimatur , & agnoscitur , in infinita bonita-
te & sapientia consistit : Sic Scripturæ sacræ infallibilitatem à Deo
auctore suo participantis in ipsa θεοπνευσία posita est summa profe-
cto atque adeo tanta auctoritas , quanta nulli alii scripto , quanta
nulli traditioni , nec ullius hominis sermoni aut decreto hodiè
competit . Etsi enim vero symbola etiam œcumenica & alia plura scri-
pta divinam doctrinam exponunt : tamen quia non sunt θεοπνευστα ,
Sacræ scripturæ æquari non debent , imo ne versiones quidem pos-
sunt , quibus æquè cum illis commune , quod ad Sacræ scripturæ
textum primogenium & authenticum veluti ad normam exigi , nec
adeo aliter admitri & probari debeant , quàm quatenus illi quidem
examissim congruere deprehenduntur . Multò minùs tribui potest
θεοπνευσία traditioni , quam jactant magnoperè & æquant scriptu-
ræ Pontificii , quin etiam ausi sunt nonnulli præferre . Primùm enim
strictè & propriè θεοπνευστος est & dicitur illa tum traditio , tum scri-
ptura , quæ qualis secundum verba & idioma & periodorum structu-
ram extat & propagatur , talis à θεοπνευσία immediatè trahit origi-
nem ,

mem, eaq; de causâ translationes Scripturæ sacræ summâ & divinâ
auctoritate destituuntur, quòd quales illæ quidem secundum verba
& idioma habentur, tales ad unam omnes non ex θεοπνευσία specia-
liter & extraordinariè ad excludendum omne errandi periculum
concessâ, sed ex ingenio humano ordinariis Dei donis & interpre-
randi subsidiis adjuto, cæteroquin erroribus obnoxio prodierunt.
Similiter traditio Pontificiis celebrata & æstimata, qualis secundum
verba apud ipsos inculcatur, talis haudquaquam est θεοπνευσία. Ne-
que enim qui illam docendo tradunt & propagant, ex immedita Spi-
ritus sancti inspiratione loquuntur, neque verba olim Apostolis
inspirata proferunt, quia illa non habent, fateri quippe & agnoscere
coacti, suam traditionem verbis non iisdem, sed diversis & subinde
mutatis propagatam fuisse. Deinde versiones & quævis scripta scri-
pturæ sacræ consentanea, etsi non sunt θεοπνευσία, talem tamen do-
ctrinam continent, qualem ex scriptura sacra non humanam; sed
origine divinam esse abundè patet. Quod autem traditio Pontificiis
recepta perinde saltem quoad res divina sit, seu unquam divinitus re-
velata, id unde probari nobis & persuaderi possit, firmum non sup-
petit ullum argumentum: quin etiam sufficientia scripturæ sacræ,
quam suo loco confirmatam dabimus, traditionem istam superfluum
& minus necessariam atque adeò fictitiam esse arguit. Similiter Pon-
tificiis ex Cathedra aliquid definitis effata & decreta, quibus Papi-
colæ infallibilitatem adserunt, ut minimè sunt θεοπνευσία, sic adeo in-
fallibilitatis privilegio non magis, quàm privati hominis aut cujusque
doctoris pronunciata gaudent: ut ita fixum nobis & indubitatum
relinquatur, solam simul & universam scripturam sacram, ut imme-
diatè Dei inspirationi, sic divinæ & summæ auctoritati consecratam
esse & infallibilem, eo que fidei & morum & omnium doctrinarum,
quæ sine Spiritus sancti inspiratione sive voce sive scripto de fidei ca-
pitibus traduntur, normam non secundariam, sed primam & supre-
mam, non partialem, sed totalem & unicam haberi. Quod quia ad
sequentem disquisitionem pertinet, ex professo hîc excutere & con-
firmare non est animus.

§. 13. Priusquam porro eamus, quæ sito & explicato opus est,
unde certum & exploratum habeamus, scripturam sacram esse mo-
do quidem suprâ declarato θεοπνευσία. Ubi prius distinguendum
est.

C

est.

est, inter divinam originem alicujus doctrinæ, & ejus *θεογενείαν*. Non tantum sacra scriptura, sed quælibet doctrina ex illa quoad sensum deprompta, illique omni ex parte consentanea originem suam in Deum sive in divinam revelationem refert, etiamsi qualis secundum verba & idioma rerumque dispositionem ac tractandi methodum apparet, talis immediatè à Deo non sit inspirata. Soli autem scripturæ sacræ *θεογενεία* competit, quâ non modò divina origo ipsi adleritur, sed simul modus, quo à Deo profecta sit, determinatur. Hinc duæ emergunt quæstiones: una; unde nobis constet, doctrinam sacris literis mandatam, aut ex illis desumptam, esse origine divinam: altera; unde pateat, ipsam Scripturam sacram, qualem quidem Hebræus & Græcus codex habet, talem à Deo immediatè inspiratam sanctis scriptoribus fuisse. Divinam originem Scripturæ sacræ & cujusvis doctrinæ ex illa depromptæ, seculo modo, quo illa à Deo profecta est, fide divinâ credimus, intellectu quippe ad ad sensum supra naturam elevato & efficaciter inducto per gratiam, quam Deus verbo suo, sive legatur, sive audiatur, modo in pectora & animos sinceros studioque veritatis ac ullo salutis desiderio ductos demittatur, inesse vel adesse voluit & facit. Atque ea quidem gratia, quæ verbo Dei sive lecto, sive audito semper est addita & quasi innexa, cum non habitualis sit, sed actualis, hinc ipsa Spiritus S. operatio esse cognoscitur, & in eo consistit, quòd Spiritus S. per verbum, veluti per organon operationi suæ ex divina ordinatione necessarium, vehementer movet & percellit animos, adeò ut convicti testimonio, quod ipse veritati divinæ perhibet, indubitato credant, verbum lectum aut auditum esse Dei verbum, eaque de causa infallibiliter verum. Hinc Sanctus Johannes ait: *Spiritus S. est, qui testificatur, Spiritum (doctrinam spiritus) veritatem esse*: Et paulò post: *Qui credit in filium Dei, habet testimonium in seipso*: Et alibi: *Unctio (Spiritus S. operatio) docet vos de omnibus*. In exemplum adsumimus Thessalonicenses, qui 1. Thess, 11, 13. verbum ab Apostolis prædicatum exceperunt, non ut verbum hominum, sed (sicut est verè) ut verbum Dei. Quod Paulus ipsi Deo per verbum operanti acceptum refert, post verba jam adducta Thessalonicenses ita compellans: *qui (Deus) operatur in vobis, qui creditis*. Quid autem fiet, inquires, de illis, qui non per sentiscunt Spiritus S. testimonium? Multi enim extorres ab Ecclesia verbum Dei, sine cujus attentâ auditione

1. Epist. v, 6,
10.

Cap. 11, 27.

1. Thess, 11, 13.

ditione aut lectione gratia, quam dixi, obtingit & sentitur nēmini, nunquam demittere in animum; quin etiam ut eā, quā par est, attentione legant vel audiant, quidam haud facillē se adduci patiuntur, nisi prius rationibus & argumentis, quanti illud aestimandum sit, quoquo modo exploratum sibi & persuasum habeant. Fortē etiam nonnullos Ecclesiae infitos, verbique audiendi potestatem & occasionem nactos, si quando obstacula posuisse Spiritus sancti operationi aut gratiam Dei excussisse contigerit, postea suo ingenio & naturali lumine ad spiritualia prorsus caligante ductos & diversē tractos subinde fluctuare & indubium vocare verbi originem divinam atque infallibilitatem videas. Quomodo ergo, inquires, hisce simul & prioribus aut simili modo affectis consulendum? Ad hoc parata est responsio, adhibenda & exaggeranda esse argumenta à miraculis, à consecutis successibus planē admirandis conversarum gentium, à testimonio Ecclesiae, & ut summam dicam, à notis & proprietatibus veræ religionis in universum petita: quæ si non plūs, ad id minimum valebunt, ne posthac etiam negligant verbum Dei, sed lectu & auditu dignum deputent, qui secus aliās de illo senserant, vel nihil omnino nōrant. Cæterum quia istiusmodi argumentorum, cujusmodi memorata sunt, nullum, utcumque comparatum fuerit, fidem certam & divinam, qualem Deus à nobis requirit, sed vel opinionem vel fidem humanam, utramque non rarō metu contradictionis fluctuantem, efficit & in animo relinquit: adhuc superiori adfero sua constat veritas; quod nempe ad certum & indubitatum ad sensum, qualem Deus verbo suo ut suo, id est, ut divino & infallibiliter vero vult præberi, gratia verbo addita, aut quale scriptura commendat, internum testimonium, quod verbo per verbum Spiritus sanctus perhibet, omne momentum & adjumentū adferat. De reliquo quod Scriptura sacra sit sub Hebræo & Græco sermone immediatē à Deo inspirata, & quod scriptores illius illi fuerint, quos fuisse credimus: id vero ex interno Spiritus S. testimonio haudquaquam innotescit. Sive enim verbum Dei ex ipsis fontibus, sive ex versionibus, sive ex scriptis aliis Scripturæ sacre conformibus audiatur vel legatur, semper ei perinde annexa est Dei gratia, ejusq; veritati testimonium Spiritus S. pari efficaciam perhibet. Sicut autem verbum Dei in versione vel alio scripto non *διον πνεύσω* legentes, viribus gratiæ,

quibus ad intelligentiam ejus & adfensionem elevamur, non simul percipimus, abesse ab illo immediatam Dei inspirationem: ita hanc scripturis authenticis competere, interno Spiritus S. testimonio æquè non docemur & convincimur; multo minùs de scriptoribus canonicis, quibus immediata inspiratio contigit, certiores reddimur; verbi gratia: Evangelium S. Johannis alicui nunc in textu primigenio, nunc in versione aliqua legenti, cum adest Dei gratia, ad agnoscendam quidem doctrinæ divinitatem & infallibilitatem sacvirium affert, sed ad textum Græcum à versionibus eo discernendum, quòd ille præ his omnibus sit immediatè à Deo inspiratus, nec nisi à S. Johanne editus, experientiâ teste, nil valet. Huic autem rei, si quid aliud, maximè testimonium primitivæ Ecclesiæ fidem facit.

Quantum ad scripturam Novi fœderis attinet, prisca & primæva Ecclesia sanctis scriptoribus, sive locus, sive tempus spectetur, fuit proxima, illos que non modo docentes audivit, verùm etiam admiranda, quæ patrarent, & planè divina miracula oculis usurpavit. Cùm itaque vel ex ipsis miraculis, ut consecutos successus & alia æquè certa indicia omittam, Apostolos divinâ virtute instructos adeo que ad docendum specialiter à Spiritu Sancto illuminatos esse, facili certâque conjecturâ assequeretur & perspiceret; postea scripturam ab illis confectam perinde *θεὸν ἔχουσαν* esse agnovit, eo que nomine asservatam posteritati commendavit, & eo maximè fidem meruit, quòd conspectis Apostolorum autographis, quinam libri à quibus conscripti essent, ignorare haudquaquam potuisset. Veteris autem instrumenti libros illa quidem non suâ, sed Synagogæ Judaicæ auctoritate & fide commendat, nec immerito; Synagogam enim Judaicam Prophetis tempore & loco proximam minimè latuit, quænam scripturæ Spiritu Prophetico, & à quibus concinnatæ essent, quas nec negligenter illi habitas, sed summâ curâ & industriâ propagatas, & postremùm primitivæ Christianorum Ecclesiæ quasi per manum traditas fuisse constat. Illa vero quas & quot scripturas propheticas acceperat, æquè atque Apostolicas summâ diligentiam custodivit & ad posteritatem transmisit. Deinde ipsis etiam scripturis Apostolicis cautum est, ne librorum V. T. *θεοπνευσία* ignorari & latere aut in dubium vocari possit. Cùm enim Petrus Prophetis testimonium perhibet, quòd locuti sint, acti à Spiritu sancto: tùm vero etiam

II. Pet. I, 21.

etiam servator illorum scripturas, quas subinde interpretatus est, ve-
lut divinas commendat, eoque cum primis, quod de se testentur, scri-
vari jubet: quas etiam in *Mosen, Prophetas & Psalmos* dividit; & cum
ipso Apostoli ad demonstrandam doctrinae suae veritatem identidem
allegant illustrantque, sicut agnoscit & fatetur Paulus, *se nihil dixisse*
extra ea, quae Prophetæ locuti sunt futura esse, & Moses.

Johan. v. 39.

Luc. xxiv. 44.

Act. xxvi.

22.

§. 14. Posteaquam consideratum huc usque & paulo explici-
tius ostensum est, quomodo verbum Dei instinctu & afflatu Spiritus
sancti sit in literas relatum, & quanta ipsi à θεοπνευσία competat au-
toritas, & unde de illa reddi possimus certiores: porro ad illustran-
dam scripturae seu verbi Dei scripti naturam, cui opera nostra de-
sudat, brevi que illam definitione comprehendendam nihil potest
accedere, extraquam ut objectum, quod scripturae authenticæ cum
versionibus non θεοπνευσίᾳ verbo que Dei olim ante conditam scri-
pturam voce saltem tradito & propagato commune est, strictim ex-
ponamus. Illud vero quodnam sit, docet nos ipse finis, cujus gratiã
confecta est scriptura, secundum illud Johannis: *Hæc scripta sunt, ut*
credatis, quod Iesus est Christus ille filius Dei, & credentes vitam habeatis per
nomen ejus. Nempe finis proximus scripturae sacrae est fides, non
quatislibet, sed quã vitam æternam tanquam finem ultimum conse-
qui possimus: Talis autem est fides in Christum vera & sincera, illa que
secundum Pauli descriptionem δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη. Quæ etsi præ-
cisè circa credenda versatur, quatenus est fides; Caritas tamen, quia
fidei perpetuo & indissolubili nexu juncta est, etiam agenda, quæ sibi
tamen vindicat, credendis addit, ut ita ad duo rerum genera prima-
rium scripturae objectum recidat. Ultraque enim, tam agenda, quam
credenda, ex professo & præcipuè exponit, atque hoc ipso nos σοφί-
ζει καὶ ἐξαρτιζει, *sapientes reddit ad salutem, per fidem, quæ est in Christo*
Iesu; & ad omne opus bonum perfectè instruit. Deinde vero docet etiam
& memorat alia aliquàm multa, quæ in censum nec credendorum
nec agendorum veniunt, ea que de causa si secundum se spectentur,
cognitu ad salutem necessaria non sunt: veruntamen ad doctrinam
fidei & morum vel mysticè significandam, ut typi; vel confirman-
dam, ut miracula; vel illustrandam faciunt, ut historiae; vel homi-
nibus ad pietatem aliasque virtutes vitæ exprimendas incitamento
sunt, ut exempla; vel aliud ad fidem & mores adjumentum adferunt:

Evang. c. xx.

31.

Gal. v. 6.

II. Tim. III.

15, 17.

Ε 3

Ut.



Rom. xv, 4.

Ut ita non abs re credendis & agendis immixta fuerint. *Quacumq;* enim, inquit Paulus, *scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt; ut per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus.* Et tantum etiam de objecto. Nihil proinde abest, quin summam dictorum, sine ullo defectu & redundantia, hac brevi definitione exprimas: Scriptura sacra est verbum Dei à Prophetis Ebræo, & ab Apostolis Græco idioma- te, instinctu Spiritus S. in literas relatum, instruens nos ad salutem per fidem, quæ est in Christo Jesu.

II. Tim. III, 15

תורה
נביאים
כתובים

§. 15 Proximum sibi locum à definitione vindicat librorum scripturæ sacræ computatio & partitio. Et primum quidem, quod Vetus Testamentum attinet, Viri Synedrii magni post exilium Babylonicum Hierosolymæ Esdrâ præside congregati, illius libros secundum numerum literarum Ebræarum viginti duos computarunt, & distribuerunt in tres classes, quarum prima Lex dicta V. libros Mosis continet; media IX. Prophetas; postrema IX. Hagiographa habet. Non autem numerarunt octo Prophetas, perinde ac si non plures, quam tot scriptores Prophetæ fuissent; sed quia multa & varia scripta à variis auctoribus Spiritu prophetico ductis iisque partim notis, partim ignotis aut incertis edita, compendii causâ ad paucos, nempe octo libros redegerant. Quatuor ex illis appellarunt Prophetas priores, nempe librum Iosue, iudicum, cum appendice Ruth, unum Samuelis, qui postmodum in duos distinctus fuit, & unum Regum, ex quo itidem duo postea facti sunt. Prophetas posteriores dixerunt quatuor reliquos libros, quorum tres sunt simplices, & maiores, nempe Iesaias, Ieremias cum Threnis, & Ezechiel; quartus vero ex duodecim Prophetis minoribus compositus citatur in actis, & liber prophetarum appellatur. Hagiographa sunt Psalmi, Proverbia, Iob, Canticum, Ecclesiastes, Esther, Daniel, Esra Nehemiam comprehendens, & Chronica pro uno libro sumpta, sed postmodum in duos distincta. Talmudici Ruth à libro Judicum, & Threnos à Jeremia divulsos inter hagiographa retulerunt, quorum numero duobus libris aucto, computati sunt in unum

C. VII, 42.

versum libri viginti quatuor, & inde Biblia עשרים וארבעה
 sunt appellata. Partitio autem in legem, Prophetas & Hagiographa,
 qualis à Synedrio magno tradita fuit, talis in hunc usq; diem Hebræ-
 is usitata mansit, quin etiam Christi testimonio apud Lucam com-
 probari meruit, nisi quòd pro Hagiographis partem illorum initia-
 lem, nempe Psalmos nominavit. Cur autem Lex & hagiographa
 à prophetis discernantur, causa superiùs indicata fuit, ubi diversos
 revelationis gradus & modos exposuimus. Est sane, ubi etiam legis
 scriptor Moses & Plates inter Hagiographa relatus in scriptura pro-
 phetæ appellantur: quin imò totum Vetus Testamentum *sermo-
 nem propheticum* dixit Petrus, & ipsi supra non semel eo nomine in-
 digitavimus. Nihilominus strictiore etiam significatu Deus ipse
 Prophetam descripsit & appellat, cui per somnium aut in *ἐκστάσει* Num. xii, 6.
 per visionem, aliis tamen revelandi modis non omninò exclusis, ora-
 cula sua revelabat, atque hac ratione Moſen, quem ore ad os alloque-
 batur, Prophetarum numero exemit, quin etiam illis prætulit. Nec
 minùs eximendi sunt illi, qui hagiographa scripserunt: quoniam
 non per somnium aut in *ἐκστάσει* per visionem, sed per immediatam
 Spiritus Sancti inspirationem, haud impeditâ corporis & sensuum
 externorum operatione, reconditam sapientiam cognoverunt, ex-
 cepto forsitan Daniele, cui visiones propheticas simul & *χειροματῶν*
 prophetarum extraordinaria nonnulli tribuunt, quemadmodum
 Josephus de ipso scribit: *ὅτι τὰ μέλλοντα μόνον προφητεύειν διετέλει, καὶ δὲ* Lib. x, antiq.
προφητείας οἱ ἄλλοι προφητοῦνται, ἀλλὰ καὶ χειρὸν ὄραζεν, εἰς ὃν τὰ ὑποβήσεται. c. 12.
 Unde etiam Græci & Latini illum prophetis majoribus annumerâ-
 runt. Qui vero Ebræos secuti Danielem à prophetis segregant, cau-
 santur potissimùm, quòd, quia unus è proceribus aulæ Babylonicæ
 erat, publicum vaticinandi munus non obiisset. Cæterùm sive ex
 publico & prophetico docendi munere, sive ex modo revelationum,
 per somnium nempe aut visionem factarum, æstimandi sint Prophe-
 tæ, incertum est, utrum tales fuerint, qui librum Josuæ, Judicum,
 Samuelis posteriorem, & Regum utrumque scripserunt. Unde po-
 tiùs conjicit Buxtorfius, dictos fuisse Prophetas priores, quòd *in illis*
de primis Prophetis agatur. Comm. Ma-
 for. c. xi.

§. 16. Codex Novi Testamenti continet primùm libros, de
 quorum neque divina inspiratione, neque scriptoribus Ecclesia un-
 quam

quam dubitavit, ut sunt *Evangelium Matthæi, Marci, Luca & Iohannis* & *Acta Apostolorum*: *Pauli epistola ad Romanos, ad Corinthios dua, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, dua ad Thessalonicenses, ad Timotheum dua, ad Titum, ad Philemonem*: prior *epistola Petri & prima Iohannis*: deinde habet libros, de quorum scriptoribus & origine olim aliquibus in Ecclesia fuit dubitatum, sic tamen, ut plerisque probata sit, hodiè que omnibus sedeat sententia, esse libros reverà θεοπνεύστους, summaque & divinâ auctoritate ad probandos fidei articulos pollere. Sunt autem *Epistola Petri posterior, secunda & tertia Iohannis, Epistola ad Hebræos, Epistola Iacobi, Iuda & Apocalypsis.*

§. 17. Universam scripturâ libris antè & modò enumeratis comprehensam, appellamus *Canonicam*, ratione superiùs insinuatâ: quia nempe propter θεοπνεύσιαν, cui infallibilitatem acceptam refert, est *canon seu regula, à qua ne latum quidem unguem, nec in fide nec in vita discedendum.* Neque enim eo data est, ut sit tantummodo monitorium, quemadmodum Bellarminus somniat; sed certè huic finis nata facta, ut sit fidei & vitæ nostræ exactissima censura & norma. Cui nequid scriptorum non θεοπνεύστων admisceretur & æquaretur, semper sedulo cavit & vigilavit primitiva Ecclesia. Nec minori curæ libros Veteris Testamenti habuerunt Judæi, qui canone subinde recensito, si quod exemplar legis mendosè descriptum, etiam si tantum quatuor erroribus esset contaminatum; aut si quem librum legi & canonicis cæteris contrarium, aut quosvis alios divinâ auctoritate destitutos reperissent; ab usu sacro removerunt continuò & rejecerunt, eoque appellârunt βιβλία ἀβσcondίτος, quòd non tam publicè legi, quàm ad privatos usus reservari, quin imo quosdam proflus abscondi cuperent & curarent, adeo ut etiam in terram aliquando sepelirent, teste Majmonide, cuius verba latino idiomate ita reddimus: *Libros inveteratos vel profanatos includunt vasi testaceo, & sepeliunt juxta studiosum sapientia. Et hac ipsa est βιβλία ἀβσcondίτος, illorum occultatio.* Hinc Græci & Latini libros non θεοπνεύστους voce æquivalente dixêrunt *Apocryphos*, quanquam rationem appellationis alii aliam reddunt. Satis autem certum ex Patrum lectione & exploratum constat, Apocryphos libros non esse ejuldem generis. Primùm sæpenumero ita appellari videas libros Prophetarum aut Apostolorum nomina mentitos, cætero quin ex multarum fabularum colluvione natos, quos velut inutilis &

Lib. iv. de
verbo Dei
c. 12.

Phil. Tephil.
cap. x, 3.

les & perniciosos Ecclesia ἀποκρυφῆς μαθόν, ἢ ἀναγνώσεως αἰεὶς (verba sunt Athanasii sub finem (synopsios) abscondi magis, quam legi dignos censuit eaque de causa, ne publicè prælegerentur, prohibuit, & providè cavit. Testem hujus rei laudamus Rufinum ita inquentem: *Ceteras verò scripturas Apocryphas nominârunt, quas in Ecclesiis legi noluerunt.* Ita vocem istam passim & penè semper usurpat Augustinus, ex quo pauca tradimus. *Legunt, inquit, scripturas Apocryphas Manichæi, à nescio quibus sutoribus fabularum sub Apostolorum nomine scriptas.* Et de civitate Dei: *Omittamus earum scripturarum fabulas, quæ Apocrypha nuncupantur &c.* Et ibidem paulò inferiùs: *Multa sub nominibus Prophetarum & recentiora sub nominibus Apostolorum ab hæreticis proferuntur, quæ omnia sub nomine Apocryphorum ab auctoritate canonica sub diligenti examinatione remota sunt.* Deinde vero, sed rariùs, appellantur libri Apocryphi, quorum non ea est auctoritas, ut ad confirmanda fidei dogmata possint adhiberi, licèt aliàs in Ecclesia saltem ad morum ædificationem utiliter legantur, quales sunt, qui sub Vetere Testamento in lucem prodierunt, *Lib. Tobia, Iudith, Lib. sapientia, Ecclesiasticus, Baruch, Libb. I & II Maccabæorum, Additiones ad Estheram & Danielem.* Quid de plerisque sentiat Hieronymus, constat ex prologo proverbiorum, ubi scribit: *Fertur & πᾶν τὸ εἶδος Iesu filii Syrach liber, & alius Ἰουδαίου γερῶτος, qui sapientia Salomonis inscribitur.* Sicut ergò Iudith & Tobia & Maccabæorum libros legit quidem Ecclesia, sed eas in Canonicas scripturas non recipit; sic & hæc duo volumina legat ad ædificationem plebis, non ad auctoritatem Ecclesiasticorum dogmatum confirmandam. Hinc quòd publicè & utiliter in Ecclesia prælegerentur, appellati sunt libri Ecclesiastici, quo nomine simul ab Apocryphis inutilibus & legi indignis discernuntur. Cur autem æquè cum illis dicti sint Apocryphi, de eo dixi dissidere inter se auctores. Nonnulli causantur, ignorari aut minimùm incertos esse illorum scriptores: alii verò auctoritatem incertam & obscuram illis tribuunt, & inde causam nominis derivant. Sed his, si de divina & summa auctoritate loquuntur, reponimus, quòd omninò pro certo habendum sit, tali auctoritate libros præ-nominatos destitui: Illi verò refelluntur, quòd nec omnium canonicorum scriptores certi sint & clareant, nec omnium Apocryphorum incerti aut lateant. Quin potiùs sicut Veteres Judæi libros, quos Ecclesiasticos appellamus, dixerunt *κρυφῶν* absconditos, quòd privatum

Expos. symb.
n. 36.

Contra Faustum I. xxii,
79.
Lib. xv, c. 23.

Glossa c. Sancta Romana
dist. 15.

D

tim



rim possessos & quasi latentes ad publicum usum non converte-
rent; ita probabile est, Christianis etiam dictos esse *apocryphos*, quod
principio non prælegerentur publicè, sed ad privatos usus reserva-
rentur, veluti utilibus quidem monitis & exemplis referti, attamen
ab omni defectu & errore haud immunes. Posteaquam verò Eccle-
sia, maximè Latina, quanquam nec Græca eorum usu prorsus absti-
nuit, publicè illos & sobriè legi permisit: factum esse videtur, ut
simul nomen in usu manserit, alià tamen ratione, & forsitan ita in-
terpretandum, quod, cum confirmanda sunt fidei dogmata, abscon-
di ejusmodi libros & ab usu removeri oporteat, ut ut aliàs quoquo-
modo Ecclesiæ proficiant.

Sels. IV.

Schal. Hak-
Kab. p. 68, b.

Lib. I. contra
Appiom.

§. 17. Tridentini autem Patres longiùs progressi libros, quos
Apocryphos simul & Ecclesiasticos dicimus, non modò legi volunt
in Ecclesia, verùm etiam ipsis Canonicis annumerant & immiscent
atque adeo auctoritate æquant, ejaculari anathema in eum, qui
*omnes pari pietatis affectu & reverentia pro sacris & Canonicis non suscepe-
rit.* Contraveniunt itaque & anathema intendunt tum synagogæ
Judaicæ, tum Universæ Veteri Ecclesiæ. Judæos enim tales libros
in consortium Codicis & Canonis Ebræi nunquam admisisse, pau-
lò superiùs ex eo patuit, quod canonicos libros secundum numerum
literarum linguæ suæ tantummodo viginti duos computarunt, in
quibus Apocryphi illi non apparent. Tum etiam R. Gedalia, ut a-
lios omittam, expressis verbis eos excludit & rejicit, post recensitos
canonicos omnes ita fatus: *Opera pretium est te scire, quod gentes seculi
multiplicarunt scribere alios libros.* (nempe apocryphos, quos deinceps
recenset) *in systemate librorum sanctorum, qui in manibus nostris non sunt.*
Nec suspicio est, quod Judæi illos olim in canone habitos dejecerint:
de auctoritate suâ & immerito deturbârint. Etenim non tantum
nulla causa est, cur libros istos magis, quam alios abhorrent & ab-
olitos vellent; sed nota etiam & satis superq; probata est illorum
adversum sacros libros reverentia & religio, quæ vel sola ipsos extra
suspicionem, quam dixi, ponit, & vereri, ne quid ipsorum culpâ in
canone mutatum sit, abundè vetat. Hinc Josephus cum numero
librorum secundum literas linguæ Ebrææ inito tenaciter insistit:
*Non sunt, inquit, apud nos innumeri libri discordes, & inter se pugnantes,
sed duo tantum & viginti, totius temporis descriptionem continentes, quibus
merito*

merito fides adhibetur; tùm deinceps, libris secundum temporũ perio-
dos recensitis, dubio procul ad extollendam fidem & laudem gentis
suæ, scribit: *Res ipsa verò ostendit, quantam nos scripturis nostris fidem ha-
beamus. Cùm enim tantùm inter eã avi sit elapsum, nemo tamen vel adji-
cere quicquam, vel adimere vel mutare ausus fuit. Nempe omnibus Iudæis
ab ineunte ætate quasi innatum est, hæc Dei dogmata existimare, inq̃ illis
permanere, & pro illis cupide, si necesse sit, mori.*

Similiter prisca & primæva Ecclesia, tùm Orientalis, tùm Oc-
cidentalis, fidem Judæorum, quibus creditæ fuere eloquia Dei, non im- Rom, III, 2.
merito sequuta, libros illos controversos, quos Pontificii propriã
auctoritate *καὶ νόμιμον*, in partem canonis venire prohibuit, sicut ex
luculentis antiquissimorum Patrum testimoniis elucet: quæ si quis
alius, summã curã & diligentiam congeffit & recensuit Præceptor no-
ster supra laudatus Dn. D. Calixtus in disputatione de auctoritate
Scripturæ Canonice; simul & accuratè commentando illustravit:
ex quo proinde peti & affatim suppleri omnia possunt, quæ hinc tra-
dere per chartæ penuriam non licuit. Deinde ipse servator apud Lu-
cam nec plures, nec alios agnoscit Veteris Testamenti libros, quàm
quot & quos Judæi in Canone habuerunt, legem nempe, Prophetas
& Psalmos reliqua simul hagiographa complexos. Neque Aposto-
li, qui ex Veteri Testamento subinde doctrinam suam confirmã-
runt, ullos libros, nisi quos tripartita illa series comprehendit, alle-
gare dignati sunt. Probabile autem est, libros etiam illos, de quibus
jam controvertitur, perinde ac cæteros Christo & Apostolis me-
morandos laudandosq̃; venisse, si velut ex *θεοπνευσία* ortum trahen-
tes summam sibi & divinam auctoritatem vendicarent. Ad hæc non
potest probari, quòd, quando scripti & editi sunt isti libri, in populo
Judaico Prophetæ ulli superstites fuerint. Conditi enim & publi-
cati sunt post Malachiæ, Esdræ & Nehemiæ excessum, & rùm vero
ablatas à populo Judaico fuisse divinas & propheticas revelationes,
unanimes propemodùm consensu agnoscunt & fatentur Rabbinæ,
fidem non injuriã secuti Majorum, quibus ea res cognita & hinc
maximè perspecta fuit, quòd etsi illorum etiam tempore caput ex-
tulissent viri excellentibus & planè divinis verbi Dei intelligendi
interpretandiq̃; donis instructi, nulli tamen invenirentur, in qui-
bus specialia & extraordinaria prophetiæ seu spiritus prophetici

Cap. I. S. 13.

In præter.
Lib. IX, p. 382.

Χειρογραφα, immediatæq; revelationis & afflatû divini ad reconditam sapientiam sive voce sive scripto tradendam necessarii ulla indicia elucerent. Unde in Exc. Gem. Sanhed. scriptum est: *Ex quo mortui sunt Prophetae posteriores, Haggæus, Zacharias, Malachias; ablati sunt Spiritus S. ab Israël.* Druſius distinguit prophetas in eos, qui munus propheticum obibant, ut *Iesaias, Hoſeas*; & eos, qui à spiritu Dei acti futura prædixerunt, ut *Daniel, David & alii*: & hæcenus rectè quidem. Cæterùm quando deinceps subjicit: *Cum ultimus Prophetarum dicitur fuisse Malachias, & in eo desuisse esse prophetiam, debet accipi, meo iudicio, in priorè significato, ut etiam ubi legimus in primo Machabeorum, quem nos primi Hasamoneorum librum vocavimus, nullus tunc erat Propheta in Israël. Nam in altero significato quovis tempore aliqui fuerunt, qui futura prædixerunt, & prophetarunt; id vero quia sine firmis rationibus aut testimoniis asserit, fidem hinc non immerito nullam sibi conciliat, neque ipsum juvat dixisse: Hac si non persuasa quibusdam Theologis, tam vera tamen sunt, quàm quæ verissima.* Sed hoc obiter & quasi in trãscursu ex illo traditur. Interea quod dixi, certum omnino relinquitur, non esse libros *θεοπνευστους* & canonicos, quos post ablatam à populo Judaico prophetiam conscriptos esse constat. Ut omitam, si libros istos ex doctrina sua & dictione tractandiq; methodo æstimaveris, fore hinc etiam manifestum illico, quòd non accedant ad similitudinem scripturæ propheticæ, imo nonnunquam aliquid, quod illi aut contrarium aut quoquo modo ab illius dignitate auctoritateq; alienum videatur, immisceant.

§. 18 Instant autem Pontificii & causæ suæ patronos advocant episcopos non adeo multos, quinto demum seculo in Ecclesia Latina florentes, quibus visum est, libros Apocryphos Canonicis immiscere; Augustinum nempe, Innocentium & Gelasium; quibus concilium Chartaginiense tertium eodem seculo & præſente Augustino celebratum adjungunt: sed in cassum. Primum enim argumentis modò prolatis sua veritas, & cum primis testimonio universæ Ecclesiæ primorum quatuor seculorum sua auctoritas consistit, etiam si pauci illi post secuti doctores unà cum concilio Chartaginiensi contradixissent. Deinde vero nequaquam contradixerunt, certè ne quidem præsumuntur contradixisse, quibus antiquioris Ecclesiæ auctoritas magni sine dubio fuit & stimata; quin potius quod dudum à multis

à multis demonstratum est, vocem canonis & canonici ad laxiorem
 significationem & usum traduxerunt. Etenim aliud est, cum scri-
 ptura canonica accipitur pro fidei & morum infallibili regula; aliud,
 cum ita dicitur quælibet scriptura, quæ in Ecclesia, si non ad confir-
 manda dogmata fidei, saltem ad morum ædificationem populo præ-
 legi meruit. Priore & strictiore vocis significatione, quæ superius
 inculcata fuit, & velut antiquissima communi usu recepta est, sola
 θεοπνευσία librum Canonicum constituit: at posteriore & multo
 laxiore vocis ejusdem acceptione, quæ recentior est, quàm prior, &
 minùs usitata, liber canonicus non præcisè ex θεοπνευσία, summaq;
 & divinà auctoritate, sed ex publica apud Ecclesiam lectione, seu si
 mavis, ex utilitate doctrinæ, propter quam legi meruit, æstimatur.
 Ita sanè libros Tobiz, Judith, sapientiæ, Ecclesiasticum, & Macca-
 bæ orum duos, quos ad unum omnes à canonicis θεοπνευσίς supra
 exclusimus, laxiore vocis usu, inter Canonicos retulit Augustinus, Lib. II, de
 quanquam quòd θεοπνευσίς auctoritate non æquarit, ex aliquot ejus doctr. Christ.
 locis sine ullo interprete manifestissimum evadit. Nos hîc chartæ c. 8.
 & operæ aliquantò parciores unum atque alterum ejus locum, ubi
 de libris Maccabæorum mentem suam aperuit, oculis & animo per-
 lustrabimus. *Supputatio, inquit, temporum à restituto templo non in*
scripturis sanctis, quæ Canonica appellantur, sed in aliis invenitur, in quibus
sunt & Maccabæorum libri, quos non Iudæi, sed Ecclesia pro Canonicis habet,
propter quorundam martyrum passiones vehementes atque mirabiles. Quod
alibi clariùs hunc in modum exponit: Hanc quidem scripturam, quæ ap-
pellatur Maccabæorum, non habent Iudæi sicut legem, Prophetas & Psalmos,
quibus Dominus testimonium perhibet, tanquam testibus suis &c. Sed re-
cepta est ab Ecclesia non inutiliter, si sobriè legatur vel audiatur, maximè pro-
pter illos Maccabæos, qui pro Dei lege, sicut veri martyres, à persecutoribus
tam indigna & horrenda perpessi sunt. Nempe agnoscit magnus ille Do-
ctor Ecclesiæ, libros Maccabæorum non inveniri in scripturis sanctis,
quæ Canonica appellantur; non à Iudæis haberi pro Canonicis; non ab illis
haberi sicut legem & Prophetas & Psalmos, quibus Dominus testimonium
perhibet: Quæ singula evincunt, non esse libros θεοπνευσίς, nec parem
cum his auctoritatem obtinere. Quomodo autem, inquires, & qua-
re Ecclesia pro Canonicis habet? An quia suâ auctoritate sciscit & facit
esse θεοπνευσίς? Minimè gentium; ex decreto enim & auctoritate
 Ecclesiæ

Ecclesiæ fieri librum *θεοπνευστον*, qui nunquam fuit, contradic-
 tionem implicat. Tùm etiam non scripsisset Augustinus, esse *sobriè*
legendos, si vellet *θεοπνευστος* esse Maccabæorum libros. Sed lanè ex-
 plicat se satis. *Ecclesia*, inquit, *pro Canonicis habet, propter quorundam*
martyrum passiones: quod idem est, ac si dixisset: *Ecclesia pro libris uti-*
libus & publicè legi dignis habet, propter exempla persecutionum & pa-
 tientie in Maccabæis martyribus conspicua, populoque Christiano
 ad similem zelum & constantiam excitando perquam idonea. Atq;
 ita patet, sanctum Doctorem libros Maccabæorum & reliquos Ec-
 clesiasticos, quos dixi, appellare quidem Canonicos, sed vocem la-
 tissimâ & eâ saltem significatione capere, ut non propriè libros divi-
 nitus inspiratos, aut æquè cum illis in summa & divina auctoritate
 collocatos, sed maximè utiles & legi dignos in Ecclesia intellectos
 velit. Sic quando Patres Concilii Chartaginiensis & duo papæ, *In-*
nocentius & Gelasius, Canonem Veteris instrumenti ex libris *θεο-*
πνευστοις simul & Ecclesiasticis contexunt, similiter Ecclesiasticos
 haud aliâ significatione appellant Canonicos, nisi illâ latissimâ, quâ
 Augustinus appellavit. Quin imò Gelasius libros sacros, quos enu-
 merat, non vocat canonicos, sed *ordinem librorum Veteris Testamenti,*
quem sancta & Catholica suscipit & veneratur Ecclesia, se recensere ait.
 Concilium autem Chartaginiense & Innocentius licèt non apertè
 dicant, se vocem Canonis latius capere, quàm capitur aliàs, cùm de
 libris *θεοπνευστοις* usurpatur: quia tamen strictiorem illam vocis signi-
 ficationem non modò non inculcant, sed etiam res ipsa aliam exigit:
 restat, ut omninò ad mentem Augustini de laxiore canone explanari
 & intelligi debeant, ita quidem, ut non omnes libros *θεοπνευστος* esse
 velint, quos in canone numerant, sed quosdam eò tantùm, quòd ad
 morum ædificationem utiles sint, in Ecclesia legi existiment, quem-
 admodum etiam concilium Chartaginiense scriptorum in canonem
 relatorum hanc reddit rationem: *quia à patribus ista accepimus in Eccle-*
sia legenda; ut vel hinc satis pateat, nunc non ex *θεοπνευστια*, sed ex pu-
 blica lectione & approbatione Ecclesiæ libros canonicos æstimari.
 §. 19. Tantum est de scriptura sacra absolutè & secundum
se considerata. Restat, ut videamus, quomodo ea sit, principium &
regula fidei & morum. Nomine autem principii, quod aliàs multis
 modis capitur, hinc præcisè principium cognoscendi & assentiendi
 intel-

Ep. ad E-
 xup. Tolos.

Tom. II.
 Conc. in du-
 retis.

In cod. can.
 Eccl.
 Afr. c. 24,
 aliàs 47.



intelligimus: sed quia credendorum & agendorum notitia prior est,
 quàm ad sensus, & quibus illa subsidiis acquiritur, ab iis assensus mi-
 nimè dependet: hinc non immeritò principium cognoscendi à prin-
 cipio assentiendi discernimus. Est autem scriptura sacra principium co-
gnoscendi bifariam; primum eomodo, quo signum dicitur princi-
pium cognoscendi rem significatam: siquidem verba, quibus scri-
 ptura exarata est, sunt nihil aliud, quàm signa, ex quibus cognoscuntur,
 quæ Deus credenda & agenda humano generi injunxit. Huic
 fini, quemadmodum necessarium est, scriptura verbis utitur perspi-
 cuis, quorum sensum cuiusvis idioma callenti in promptu est depre-
 hendere, adhibitis in subsidium interpretandi regulis, quales tam
 generales quàm speciales auctores tradunt. Ubi quòd notitia ab ad-
 sensu differat, manifestum est. Nam ex verborum significatione &
antecedentibus in textu orationis ac consequentibus, secundum in-
terpretandi regulas, verum scripturæ sensum facilè percipimus: At
 verò ut credamus, esse infallibiliter verum, quod per verba signifi-
cari novimus, ad id quidem aliunde movemur & inducimur. Dein-
 de scriptura sacra etiam principium cognoscendi est respectu conclu-
sionum, quæ ex propositionibus explicitè in illa traditis inferuntur;
 eodem ferè sensu, quo Theophrastus apud Alexandrū describit prin-
 cipium *σοιχέιον, ἀφ' ἧ λαμβάνομεν τὰς πρὸ ἐπιπέδου ἀρχὰς, elementum,* in præm. su-
 ex quo accipimus cuiusq; rei principia. Hic verò iterum notitia ab ad sensu per i. Top.
 differt, contrà quàm fieri in scientiis solet. Scientiarum enim prin-
 cipia, quia sunt evidenter nota, nunquam intellectum deducunt in
 conclusionis notitiam, quin simul moveant, ut illi ad sensum præbeat.
 At propositiones scripturæ, ex quibus articuli fidei concluduntur,
 maximâ sui parte sunt obscuræ, ea quæ de causa ut ipsæ, sic etiam con-
 clusiones ex ipsis deductæ in notitiam sine ad sensu venire possunt.
 Cùm enim, verbi gratiâ, Ethnicus incidit in scripturam sacram & le-
 git, Christum esse verum Deum: tùm non modò dogma de Christi
 divina natura secundum verba scripturæ concipit; verùm etiam ut
 Christus sit divino cultu prosequendus, ex eo per consequentiam
 effici animadvertit; neutri tamen dogmati assensum præbet, quam-
 diu scripturæ auctoritatem non agnoscit.


Principium assentiendi in duplici causarum genere collocatum,
 eoq; geminum est: semel quippe formalis ratio objectiva, ut Scho-
 lasticis:

Cap. IV. 12.

In Ev. Ioh. IV.
42.

lasticis dicitur; & iterum principium effectivum isthac appellatione venit: hoc non prius cognitum cum intellectu ad assensum elicendum concurrat, imò vires assentiendi, quas non concessit natura, confert: illa verò prius cognita tantum movet ad adsensum & inducit intellectum ac determinat, sed realem influxum non præstat. Scriptura quidē utroq; modo est principium assentiendi; sed ratione oppidò diversâ. Primum quia propter *θεοπνευσία* est infallibilis, tributa hinc ipsi auctoritas summa & divina est formalis ratio objectiva, quæ prius perspecta intellectum ad adsensum allicit & inducit. Neq; obstat, quod superior nostra disputatio rationem assentiendi revelationem & Dei revelantis auctoritatem perhibuit. Eodem enim res recidit, quia quicquid auctoritatis scripturæ tribuitur, à Dei auctoritate derivatur. Deinde etiam verbum Dei gratiâ sibi additâ perpetuo & quasi inextrinsecum intellectum intimius afficit, penetrat & mirum in modum percellit, atque adeo ad adsensum & mysteriorum fidei intelligentiam supra naturam elevat. Hinc Epistola ad Ebræos verbum *vivum & efficax* appellat, & rectè ait Albertus Magnus: *Verbum exiens ab ore verbi increati cum virtute sonat.* Cæterum efficacia illa non præcisè adscripturam authenticam, sed verbo Dei simpliciter competit, sive ex scriptura authentica, sive ex versione aliqua, sive ex alio scripto scripturæ sacræ consentaneo sit depromptum: quin etiam illa operatio verbo Dei saltem ut instrumento; gratiæ autem illi additæ & Spiritui Sancto veluti causæ principali tribuitur. Scripturæ autem authenticæ proprium est, tum quòd est unicum principium cognoscendi omnia, quæ sunt cognita ad salutem necessaria; tum quòd sola est tantæ auctoritatis, ut pro certo & infallibiliter vero habendum sit, quicquid illa docet. Atque hinc est, quòd principium primum in Theologia vulgo hisce verbis redditur: *Quicquid sacra scriptura docet, est infallibiliter verum.* Pauca hæc de principio fidei in antecessum tradere visum est. Cæteroquin ad scripturam, ut est cognoscendi principium, verborum perspicuitas & rerum sufficientia; quin etiam modus interpretandi illam & ex illa necessendi conlequentias pertinent. De quibus non mòdò singulis, verum etiam de ratione assentiendi & adsensu ipso sequenti disquisitioni lata diffusaque tractatio reservatur.

F I N I S.







arum Secunda, XXVJ

THEOLOGIAM

Scriptura

ata potifsi-

amburgica, Divinâ

nda & Amplissimæ
gia,

MUSEI,

olici, 7161
jicit

STENIUS, Svecus.



ucii, Typogr. Acad.

